

cundæ sententiæ propositæ. Imo juxta hanc expositionem ex illo textu non colligitur, hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ habere hunc effectum privandi Ecclesiastica sepultura, sed id colligi debet ex illa generali regula supra tradita, quod hoc interdictum habet omnes effectus interdicti personalis, non ubique, sed in Ecclesia; unde solum fit privare etiam sepultura in Ecclesia, non tamen in quolibet alio loco sacro seu cœmeterio.

14. *Alia ejusdem capituli expositio.* — Hæc vero interpretatio illius textus singularis est; alia vero expositio est communiter recepta, et ideo magis probanda, scilicet, ibi declarari hunc, ut effectum talis interdicti, quod magis est consentaneum verbis textus, tum quia illa relatio et conjunctio, *talis quoque*, etc., plane refertur ad personam sic interdictam, de qua ut sic principaliter erat sermo in textu, et non quatenus novum crimen commisit; tum etiam quia illa conditio, *si tali interdicto durante*, etc., frustra poneretur, si non esset sermo de effectu interdicti, sed de pœna ob transgressionem; nam hæc posset executioni mandari, etiamsi interdictum non duraret. Igitur in illa parte declaratur hic tanquam specialis effectus interdicti; declaratur autem sub ea conditione, *nisi pœnituerit*, quam citato loco disputationis præcedentis satis explicuimus. Cum ergo ibi absolute dicatur, *in Ecclesia vel cœmeterio*, quodlibet cœmeterium comprehenditur, etiam non contiguum. Quomodo autem hæc assertio cum præcedenti cohæreat, explicandum superest; cur enim potius quoad hunc effectum fit extensio ad cœmeterium disjunctum, quam quoad alios? Item respondere oportet ad c. Si civitas, nam repugnare videtur, saltem argumento sumpto a paritate rationis.

15. *Cur interdicto ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur sepultura in cœmeterio separato, non vero in illo sacra audire.* — Dico igitur, hanc fuisse specialem declarationem illius textus quoad hunc effectum, quæ non fundatur in illo principio, quod accessorium sequitur naturam principalis et sub illo comprehenditur; nam hoc non habet locum in cœmeterio separato, ut recte probatum est; imo neque ad contiguum hic recte applicatur, ut postea dicam; sed fundatur in hoc, quod quantum ad usum sepulturæ, perinde se habet quodlibet cœmeterium, sive conjunctum, sive separatum, ac ipsa Ecclesia, quia per se et directe est locus institutus ac deputatus ad hunc sacrum usum, sicut Ecclesia ad

alios; et ideo, quantum ad hanc prohibitionem reputatur tanquam Ecclesia. Unde etiam secundum communem modum loquendi sepultura in tali loco dicitur Ecclesiastica; ob hanc ergo causam facta est illa extensio quoad hunc usum sepulturæ. Ex qua non sumitur argumentum ad alios actus; imo ex speciali declaratione hic facta colligi potest non esse idem de reliquis.

16. *Ex vi interdicti ab ingressu Ecclesiæ non prohibetur ingressus in cœmeterio etiam contiguo.* — *Excluditur fundamentum contrariæ sententiæ.* — Atque hinc ulterius infero, ex vi hujus interdicti ab ingressu Ecclesiæ non privari aliquem ingressu cœmeterii etiam contigui Ecclesiæ, nec celebratione divinorum officiorum in ipso. Quod sensit Philippus Franc., in dict. cap. Is cui, et non nihil favet cap. Latorem, 33, quæst. 2, ubi quidam interdictus ab ingressu Ecclesiæ ad fores ejus assistere, et ibi Deum precari permittitur; ergo non intelligitur exclusus ab Ecclesiæ cœmeterio. Ratio est illa generalis, quod verba pœnalia restringenda sunt quantum proprietates eorum patitur, nisi vel aliter in jure declaratum sit, vel alia necessaria ratio cogat. Hic autem in rigore nomine Ecclesiæ non significatur cœmeterium, nec est jus ali-quod, aut sufficiens ratio, quæ cogat ad illam extensionem faciendam: ergo. Probatur minor, quia, si esset aliquod jus, maxime esset dictum c. Is cui, ubi declaratur cœmeterium comprehendere quoad effectum privationis sepulturæ; ostendimus autem, hoc esse speciale in illo effectu, ideoque non esse extendendum ad alios; alioqui etiam in cœmeterio non contiguo esset prohibitus talis ingressus, quod falsum esse ostendi; igitur ex illo textu colligi non potest hæc extensio ad cœmeterium etiam contiguum Ecclesiæ. Rursus, si aliqua ratio cogeret, esset maxime illa, quod accessorium sequitur principale; at hoc verum in favorabilibus, non autem in pœnalibus et odiosis.

17. *Occurritur objectioni.* — Dices: licet hoc videatur odiosum respectu personæ, quæ interdicatur, tamen respectu Ecclesiæ est favor; hoc ergo satis est, ut fiat extensio. Ob similem enim rationem in dict. c. Si civitas, interdicta Ecclesia, dicitur esse interdictum cœmeterium contiguum. Respondetur nullum favorem Ecclesiæ ab ipsa intentum in hoc inveniri, quia, quando ipsa interdicat aliquem ab ingressu Ecclesiæ, id solum intendit, quod verbis declarat; quod si plus voluisset, ex-

pressisset seu declarasset. Nec pertinet, per se loquendo, ad favorem Ecclesiæ, ut pœnalia verba extendantur, alioqui eo titulo semper essent pœnæ late intelligendæ, contra juris regulam. Nec cap. Si civitas, in ea ratione fundatur, sed alia speciali, scilicet, *ne vilipendi valeat sententia interdicti*, quæ ratio habet locum in interdicto locali, de quo ibi est sermo, non vero in personali, quale id est, de quo agimus, quia cum afficiat personam solum in ordine ad talem locum, quamvis extra illum in loco etiam vicino et contiguo celebrare possit, non propterea contemnitur aut vilipenditur interdictum.

18. *Capella quoad hunc effectum nomine Ecclesiæ venit.* — Non oportet tamen hoc extendere ad capellas Ecclesiæ, ut supra objiciebatur, quia capellæ revera sunt partes Ecclesiæ, et ideo sub ipso toto comprehenduntur, quando ingressus Ecclesiæ interdicatur; secus vero est de cœmeterio, non enim est pars Ecclesiæ, sed omnino extra illam; et in rigore nomine Ecclesiæ non comprehenditur quoad pœnalia, nisi ubi id specialiter declaratum est.

Explicatur alia differentia inter hoc interdictum et reliqua.

19. *Prima sententia circa effectus hujus interdicti.* — Ultimo loco explicanda superest alia differentia, quam supra insinuavimus inter hoc interdictum et reliqua. Est autem differentia, quia alia interdicta non privant hominem ab ingressu Ecclesiæ, ut supra visum est; diximus enim, quando divina officia non celebrantur, posse unumquemque, non obstante interdicto, ingredi Ecclesiam et in ea privatas orationes fundere. At vero hoc interdictum privat hominem ingressu Ecclesiæ, ut verba ipsa sonant. In hac autem differentia non conveniunt Doctores; multi enim sentiunt, ex vi hujus interdicti ab ingressu Ecclesiæ solum prohiberi ingressum Ecclesiæ ad celebranda, audienda vel recipienda divina; non vero ad privatas orationes fundendas, vel ad alias orationes. Ita sentit Covarr., in cap. Alma, part. 2, § 4, num. 3, citans Calderinum, Ancharranum, Dominicum et Francum pro hac sententia. Quam etiam tenet Navarr., in Summ., cap. 25, num. 75, citans Archidiaconum et communem in dict. cap. Is cui, et cap. 27, num. 170, referens alios et sumens argumentum ab excommunicatione, quæ major est censura, et tamen non

privat ingressu ab Ecclesiæ propter privatam orationem. Tenet etiam Angelus, verb. *Suspensio*, 3, num. 6; Sylvest., verb. *Suspensio*, q. 5, circa finem, dicitque colligi ex ratione textus in dict. cap. Is cui, nimirum ex illis verbis: *Cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta*; nam hinc videtur colligi, privatam orationem non esse ibi interdictam. Et huc etiam videtur tendere ratio, quam Navarr. affert, quod prohibitio ingressus Ecclesiæ respicit solum divina officia, ne ea quis faciat vel audiat in Ecclesia. Quod quidem de celebratione constat ex cap. Is qui; de auditione vero exprimitur in cap. Præsenti, 5, q. 2.

20. *Secunda sententia.* — *Ugolin., tabul. 6, cap. 16, quæst. 3, num. 1, et part. 1, per tot.* — Contrariam tamen sententiam tenet Sylvest., verb. *Interdictum*, 6, quæst. 6, cum Monaldo et Venuccio, quos refert; idem tenuit Innocentius, in c. Sacro, n. 2, de Sent. excom.; Abbas, in c. Cum Ecclesia, num. 5, de Immunit. Eccles.; et Calder., tract. de Interdicto Eccles., m. 2, vers. *Sed queritur*; et Felin., in c. A nobis, num. 6, de Excep. Fundamentum esse potest, quia verba illa, *ab ingressu Ecclesiæ*, totam hanc vim habere videntur. Et ideo argumentum ab excommunicatione, vel aliis censuris sumptum efficax non videtur; nam, licet aliæ censuræ simpliciter graviores sint, hæc tamen potest habere aliquid speciale, in quo alias superet, cum ipsa specialis sit, et per verba specialia feratur, quæ prædictam vim habere videntur. Nec apparet aliquod fundamentum sufficiens ad limitandam hanc prohibitionem ad illa duo capita, scilicet, facere, vel audire divina officia in Ecclesia, quia in dicto capit. Is cui, solum dicitur, prohibito ingressu Ecclesiæ, *consequenter prohiberi celebrationem divinorum in ea*; non vero excludit, quin alia prohibeantur; sed illius effectus meminit, quia intentioni illius cap. deserviebat, scilicet ad explicandam irregularitatem, quæ propter violationem hujus censuræ incurritur; nam hæc propter solam celebrationem divinorum ex officio incurritur, non vero propter alias actiones contra hoc interdictum, etiamsi ex vi illius prohibita sint; imo Panormitanus, supra, ponderat verbum illud, *per consequens*; nam ex eo intelligimus ipsum ingressum Ecclesiæ per se ac simpliciter esse prohibitum, consequenter vero celebrationem, quæ talem ingressum prærequirit.

21. *Cap. Præsenti, 5, quæst. 2, expenditur.*

— Caput autem Præsenti, 5, quæst. 2, in primis non videtur in proprio sensu adduci; nam verba ejus sunt: *Interdicta Ecclesiam intrandi licentia, et omnia divina officia audiendi*. Quæ duas habent partes, et in priori fertur interdictum ab ingressu Ecclesiæ; in posteriori vero nova pœna generalior ferri videtur; non enim additum est, *in ea*, sed simpliciter prohibetur audire divina officia, quod (ex vi talium verborum) intelligitur ubicumque dicantur, quæ prohibitio non continebatur in interdicto ab ingressu Ecclesiæ, ut constat. Vel certe, si quis omnino velit posteriora verba conjungenda esse prioribus, et referenda esse ad Ecclesiam, dicendum est, illud non fuisse interdictum simpliciter ab ingressu Ecclesiæ, sed solum ex parte, seu cum limitatione, scilicet intrandi ad audienda divina officia. Ex quo non licet inferre, quoties interdictum ab ingressu Ecclesiæ fertur, licet absolute et simpliciter feratur, non prohiberi nisi actum audiendi, vel celebrandi officia. Alioquin nec receptio sacramentorum in Ecclesia esset prohibita, quia recipere sacramentum non est audire, vel celebrare divina officia.

22. Præterea, quod hæc prohibitio extendatur etiam ad orationes privatas in Ecclesia, videtur apparenter colligi ex c. Latorem, 33, quæst. 2, ibi: *Per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, orans, et deprecans Deum perseveret*. In quibus manifeste est sermo de privata oratione; et illa permittitur fundi ante fores Ecclesiæ; ergo supponitur prohibita intra Ecclesiam ex vi talis censuræ. Illa enim particula adversativa, *sed ante fores*, etc., satis declarat, prohibito ingressu Ecclesiæ, illam etiam deprecationem intra illam esse prohibitam, quæ ad fores Ecclesiæ facienda dicitur. Quod aliter sic urgeo: nam, cum dicitur, ut sic interdictus stet ad fores Ecclesiæ, et non deprecetur, vel intelligitur quod stet ad divina officia audienda, et deprecandum in eis; et hoc dici non potest, cum id prohibitum sit ex vi talis interdicti, quod supra ostensum est, et sumi potest ex dict. c. Præsenti, juxta communem intellectum; vel intelligitur, ut stet ibi ad deprecandum absque auditione divinatorum, et hoc superflue adderetur, nisi talis deprecatio prohiberetur fieri intra Ecclesiam ex vi illius interdicti.

23. *Inter duas propositas sententias judicium fertur*. — Quamvis ergo prior sententia et communior et favorabilior sit, et prop-

terea sim ad eam propensus, et forte in praxi possit probabiliter, et secure servari, nihilo minus in rigore juris posteriorem sententiam veram esse opinor, quia fundamenta ejus solidiora sunt, et nullum fundamentum video sufficiens in ratione, vel jure, ad limitandam illo modo prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ absolute factam, et dictum c. Latorem, apud me non parum facit, ut illa limitatio non admittatur. Adverto tamen, cum prohibetur ingressus Ecclesiæ, intelligendum id esse formaliter, ut sic dicam, de ingressu in Ecclesiam, ut Ecclesia est, id est, ad utendum ea tanquam loco sacro, et solemniter instituto ad orandum Deum, vel alia sacra facienda. Unde non opinor (etiamsi Abbas, et nonnulli alii contrarium sentiant), ex vi hujus interdicti esse prohibitum omnem ingressum in Ecclesiam solum quasi materialiter sumptum, scilicet vel ad transeundum per eam, ut recte dicit Innocentius supra, vel ad loquendum, aut disputandum, vel quidpiam simile, quia tunc non utitur aliquis Ecclesia, nisi ut quodam communi loco; jura autem loquuntur de Ecclesia quoad sacrum aliquem usum.

24. *Hoc interdictum non prohibet ingredi Ecclesiam ad audiendam concionem*. — Quid vero dicendum sit de audienda concione intra Ecclesiam, juxta priorem opinionem satis constat, juxta posteriorem vero res est magis dubia. Dicendum vero censeo hoc non esse prohibitum, quia nullo jure hoc significatur; et quia, licet actio illa aliquo modo sacra sit, non tamen ita proprie ac per se pertinet ad munus Ecclesiæ, quatenus templum est Deo dicatum, sicut pertinet oratio, et aliæ actiones similes; item quia verbum Dei nunquam prohibetur, est enim ad conversionem maxime necessarium. De aliis vero actibus, qui pertinent ad jurisdictionem Ecclesiasticam exterioris fori, ut sunt eligere, absolvere a censura, et similes, certum est per se non prohiberi in Ecclesia ex vi hujus censuræ, quia respectu illorum etiam se habet Ecclesia mere materialiter, et alioquin tales actus non prohibentur ex vi Ecclesiastici interdicti, ut ex superioribus constat.

DISPUTATIO XXXVI.

DE CAUSIS INTERDICTI.

Post effectuum considerationem sequitur ut de causis dicamus. Supponimus autem in hac censura locum habere quatuor communia

causarum genera, quæ de censuris in communi declaravimus, de quibus in hac disputatione sigillatim dicemus, quia suppositis, quæ in superioribus tractata sunt, breviter possunt expediri.

SECTIO I.

Quis possit censuram interdicti ferre.

1. *Prima regula generalis*. — Duæ regulæ generales in superioribus traditæ, hic applicandæ sunt. Prima est interdictum posse et ab homine, et a jure ferri. De homine id constat communi usu Ecclesiæ, et ex dictis supra de potestate ferendi has censuras, nam hæc potestas in hominibus residet, et ex multis juribus, quæ hoc supponunt, ut cap. ultimum de Sent. excommun., in 6, cum similibus. Denique est res indubitata, et de fide. De jure etiam id constat ex eisdem principiis; et inferius afferemus, et declarabimus varia interdicta, quæ ipso jure lata sunt.

2. Secunda regula est, eum posse hanc censuram interdicti ferre, qui potest excommunicare, vel suspendere; quæ insinuat in c. Cum Ecclesiarum, de Offic. ordin. Ubi quoad hoc excommunicatio, et interdictum æquiparantur. Et communiter recipitur, ut videre licet in Sylvestro, *Interdictum*, 3, quæst. 3; Covarr., in c. Alma, part. 2, § 2, num. 6; Navarr., c. 27, num. 168; Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, conclus. 2. Ratio tradita est supra disp. 28 de Susp., sect. 1, quæ ibi videri potest, nam eadem omnino hic locum habet. Solum est hic advertendum, hanc regulam intelligendam esse de interdicto absolute, non descendendo ad determinatam speciem interdicti localis. Nam multi Prælati videntur in Ecclesia habere potestatem ferendi censuras, et interdictum personale, qui non possunt ferre interdictum locale, quod de Prælati religionum notavit Soto supra; de quibus saltem constat non esse in usu, ut ferant interdictum locale, nisi fortasse ubi in aliquo oppido habent jurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi, et quasi Episcopalem. Ratio autem esse videtur, quia jurisdictionis horum Prælatorum magis est in personas, quam in territoria, aut loca; et ideo magis possunt ferre censuras in personas, quam in loca; agimus autem de potestate ordinaria, et non delegata.

3. Atque hæc ratio maxime convincit de interdicto generali loci. De interdicto enim

speciali in propriis Ecclesiis, vel domibus non videtur eadem ratio, quia talia loca regulariter exempta sunt et eorum jurisdictioni subjecta; cur ergo non poterunt in eis tale interdictum ponere? Sed, quidquid sit de absoluta potestate, et jurisdictione, usu non est receptum, ut talia interdicta ab his Prælati ponantur, vel quia sunt media improporcionata ad modum, et finem religiosi regiminis; vel quia generaret scandalum in populo, et res esset Episcopis et aliis Prælati Ecclesiarum odiosa. Et ob has fortasse causas eis etiam non est data hujusmodi potestas, et jurisdictionis, vel per contrariam consuetudinem eam amiserunt.

4. *Quis possit interdictum ipso jure ferre*. — *Ab homine dupliciter ferri potest*. — *Quis illam habeat ordinariam*. — Ex his regulis sequitur, quoad interdicta a jure eum posse ipso jure interdictum ferre, qui potest condere canonicum jus, et sub censuris ad illud obligare. De qua potestate, et de habentibus illam satis diximus tractando de censuris in communi. Similiter, quod spectat ad hominem, duobus modis potest homo habere hanc potestatem, scilicet ordinariam et delegatam, sicut de censura in communi diximus, et in particulari de interdicto probari potest ex c. Sane, 2, de Offic. deleg., et ex c. Episcoporum, de Privil., in 6. Et ratio est eadem, quia hæc potestas non potest esse in hominibus, quin in aliquo sit tanquam propria et ex officio, quod est esse ordinariam; et inde fit, ut etiam delegari possit, quia nec ex parte potestatis repugnat quin delegabilis sit, nec ex parte judicis ordinarii, quin delegare eam possit. Est autem hæc potestas ordinaria in Episcopis, ut constat ex dict. c. Episcoporum, et aliis citatis, et ex c. Cum et plantare, § Excommunicatos, de Privil. Et ratio est, quia illi habent ordinariam et principalem jurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi. Constat autem sub Episcopis a fortiori comprehendere eorum superiores, præsertim Pontificem, Concilium generale, et alios, de quibus supra de censuris in communi satis dictum est. Comprehenduntur etiam illi, qui participant Episcopalem jurisdictionem, ut sunt aliqui Abbates, cap. Sede vacante, etc., de quibus eodem loco dictum est.

5. *An illam habeat Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sede non vacante*. — *Conclusio*. — Specialiter autem hic dubitari solet, an Capitulum Cathedralis Ecclesiæ possit censuram illam ferre, etiam quando Sedes non vacat.